21 6.

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,*

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis vigesimâ-quintâ, mensis Martii, anno Domini M. DCC. LV.

M. CLAUDIO-CAROLO DEJEAN,
Doctore Medico, Præside.

An Prolem lactare Matribus saluberrimum?

I.



EMINA non tàm sibi, quàm procreandis educandisque liberis nata. Vix dùm bis-septem complevit annos, hanc mox fore viro maturam prænuntiant mammæ sororiantes, lumborum gravitas, dolor coxendicum, spontanea artuum lassitudo, ciborum fastidium. Hæc symptomata brevi fugat manans ex utero sanguis, puellamque toro prorsùs habilem efficit. Menstruâ quâque periodo pari stipatus comitatu, effluit redundans humor sanguineus, donec utero gerat mulier; tunc ut plurimùm cessant Menstrua, humorem superfluum matrique inutilem in sui nutrimentum absumente fœtu. At parum esset naturam non nato infanti providisse, nisi & adhuc à matre recentis mollitudini accommodatum parasset pabulum. Illud est mammarum munus. Ut primùm è carcere materno in auras prodiit tenellus homuncio, protinùs non jam distenta ampliùs uteri fornix constringi, vasa ipsum alluentia ad nativam redire diametrum, contenti humores, hinc Lochiorum nomine foras emitti, illinc retrò conversi vicina latè loca distendere, turgescere uberiori sanguinis copiâ arteriæ Epigastricæ, appellenti per sibi copulatas Mammariarum internarum ramificationes sanguini fortiùs resistere, ille per ramos ipsimet mammarum substantiæ prospicientes ferri copiosiùs, illos ampliare, mammæ hinc dolere & intumescere, hinc lacteus humor à sanguine separari, primis à partu diebus dilutior, spissior deinceps evasurus, cum sensim sine sensu laxatâ mammarum compage, spasmus & dolor remiserint, amplioresque caseosis & butyrosis partibus patebunt viæ. Lac tali secretum artificio quantùm puerulo conveniens est alimentum, tantùm matri omnino est inutile, quin etiam ejusdem sanitati infensissimum, nisi eâdem emulgeatur, quâ secernitur proportione. Candidos igitur latices tenero vagitu efflagitanti puero surdas ne præbeat aures matèr puerpera, ipsam pudeat, à feris sylvestribus materno in natos amore superari. At si, vel feris ipsis feriorem, nulla propriæ prolis tangat cura, sibimet ipsi saltem consulat. Ociùs infantulo sugendos denudet lactei roris eburneos fontes, firmiorem indè sibi certò comparatura sanitatem. Illud enim saluberrimum esse nullius inficias

* *M. THEODORO BARON, anno* 1741.

A

ibit, cujus beneficio, foras amandatur humor materno corpori inutilis, qui tum in vasis excretoriis commorando, tum ad massam sanguineam revertendo, morbis curatu difficillimis daret occasionem.

I I.

EA est humani corporis structura, ut necessitate quâdam mechanicâ, varii è sanguinis sinu secernantur humores. Illorum ad servandam valetudinem maxima utilitas. Si quâcunque de causâ debitis in locis separari cessaverint, numerosa statim præstò est ægritudinum cohors. Num erethismo laborat glandulosa renum substantia? haud mora muriatico humore inquinatus sanguis totum genus membranaceum salsitudine suâ pungit, vellicat, inordinatos trahit in motus, urinam redolentia æger vomitu rejicit, delirat, convulsionibus universum quatitur corpus, mors tandem succedit miserrima, nisi artis beneficentissimæ auxilio, urinæ per renum colatoria restituatur secretio. Num obstructis quoquo modo, tendentibus ad hepar venæ portarum ramificationibus, bilis impeditur separatio? æger fastidit cibos, ingesta malè concoquit, Alvus siccescit, os amarescit, lotium croceo colore infectum redditur, Erysipelate, aut etiam Phlegmone fœdatur cutis. Adeo massæ sanguineæ permistos remanere varios humores periculosum! nec minora sanitati imminent damna, ubi ex aliorum consortio extricatus humor quilibet (negato exitu) propriis hæret in conceptaculis, vel indè à vasis lymphaticis exsugitur ad sanguinem deferendus. Quoties ab intempestivâ perspirationis insensibilis suppressione, sævissimis Rheumatismi doloribus, torquentur membra, atrocissimis Podagræ cruciatibus divexantur articuli? Quot ab eadem causâ repetendæ Pleuritides, Peripneumoniæ, Diarrheæ, febres catarrhales, Anginæ, Ophtalmiæ? Quot ægros tumulavit latex urinosus, in corpore retentus aut à vesicæ Paralysi, aut ab ejusdem sphincteris contractione spasmodicâ, vel etiam à calculo ureteris viam claudente? Quantas sæpè parit tragœdias, in jecore secreta bilis, liberum per ductus hepaticos iter non inveniens? Quin & ipsarum fecum in intestinis remora gravissimos nunnunquàm efficit morbos, hæmorrhagias, vertigines, hemicranias, dolores colicos, passionem iliacam. Numquid non à suppressis mensibus funestissima pullulant aliquando quæ mulieres adoriuntur mala, hæmoptysis, vomitus cruentus, hysterica passio, comatosi affectus, convulsiones, cordis palpitatio? numquid impeditus in puerperis Lochiorum fluxus, Apoplexias quandòque non producit lethiferas, crudelia ventris tormina, immanes Cardialgias, uteri inflammationem, aliaque horrenda generis ejusdem symptomata. Quisquis igitur tranquillos absque dolore soles condere expetit, institutam à naturâ variis in organis humorum separationem feriari non sinat: hanc convenienti sex rerum non naturalium usu promoveat; grande credat piaculum, secreti cujuslibet humoris ab organo secretorio effluxum omni operâ non adjuvasse, illudque habeat tanquam causa plurium morborum frequentissima; quos præcavere longè faciliùs est quàm expugnare.

I I I.

QUEMADMODUM à secundo ad septimum usque circiter ætatis septenarium, mensium fluxu carere tutò nequit femina non prægnans, ita & matrem impunè ab infantum nutricatione discedere difficillimum est. Eadem lactis quæ Catameniorum materia, quæ lactant mulieres per uterum non repurgantur, id saltem raro contingit. Uterque humor in corpore muliebri superfluus. Illius egestio ab uteri peculiari fabricâ pendet, alterius ab infantis suctu perficitur. Quot & quantos matri impendentes avertat morbos ab ejus ubere pendens puerulus, ostendit natura lactis attentiùs considerata. Triplex lac constituit substantia, aquea, & serum audit; salino-terrea, caseum dicunt; oleosa tandem, quæ butyrum nuncupatur. Quiete diuturniori secedunt ab invicem heterogenea hæc lactis prin-

cipia. In excretoriis mammarum non lactantium tubulis quiescit lac. Quid inde? triplicem resolvitur in substantiam. Oleosa sibimet permissa acris fit & rancida, continentia vasa stimulat, erodit; tum vasorum lymphaticorum ope (numerosa in mammis reperiuntur) ad sanguinem revecta, motuque circulari abrepta, accenditur, æstuat, alios humores exagitat, febres parit inflammatorias. Aquea pars utpote fluidior, massam sanguineam rursùs ingreditur, per renes amandanda, quandoquè sub seri tenuioris formâ papillis exit. Quid interim de caseosâ parte? sero in dies spoliata, crassescit, induratur, in tubulis Galactophoris congeritur, gypseam æmulatur soliditatem, uno verbo in scirrhum degenerat; hinc vicinia comprimuntur vasa sanguifera, hinc impedita in mammis circulatio, hinc inflammatio, suppuratio, cancer exulceratus letho sæpissimè finiendus. Quò quis humor à sanguine separandus, circulationi minùs idoneis & crassioribus constat partibus, eò intra sanguinis massam hunc retineri periculosum magis. Talem esse lactis indolem perse patens est. Quantis itaque ægritudinibus non lactantes feminas plecti necessum est? præterquàm quòd superfluo ac inutili humore non liberantur, sicque ipsis metuendi sunt quotquot à plethora natales ducunt morbi, ille est insuper lactis genius, ut facillimè spissescat & grumos agat; plethoræ igitur adjunget se comitem Cacochymia. Qualis porrò Cacochymiæ species? cœnosa & lutulenta humorum Diathesis, fluiditatis inimica. Lacteo humore luxurians sanguis, omnes vitiabit secretiones, hærebit in capillaribus, mille pariet obstructiones mox daturas progeniem vitiosiorem.

IV.

HACTENUS ratione stabilitam de noxis ab effuso (ut vocant) lacte sententiam, heu frequens nimiùm! ulteriùs confirmat experientia. Decumbentes à partu adeamus non lactantes puerperas. Dictu horrendum, quàm multa, quàm crudelia, quàm pertinacia, ipsas undiquè circumveniant incommoda! Modò vultum occupat Erysipelas, indè tumet facies doletque, scintillant oculi, pulsant tempora, lancinans adest capitis dolor, totidem retenti intra molem sanguineam lactei humoris partus infelices. Modò lympha lentior facta, hìc & illìc moras nectit, cumulatur in glandulis, tumores, gignit durissimos, Parotides, strumas, scirrhos. Modò impatibiles non lactantium femora distrahunt dolores, ingensque medentibus facessunt negotium. Aliàs incarceratum in matris corpore, recèns nati alimentum præ calore expanditur, febresque accendit varii generis, quas inter exanthematicæ omnes, præsertim quæ purpurata dicitur, sive rubra sit Purpura, sive alba, magnoperè pertimescendæ. Clinicis notissimum est lacteum succum passim per viscera & artus vagantem, abscessus aliquandò generare periculosissimos non nisi ferro debellandos, quibus in speciem sanatis, alii non deficiunt pari arte oppugnandi, sæpiùsque cum pari successu. Nonnumquàm ab ingratâ matre pœnas reposcit pleuritis gravissima illamve exhaurit fluens alvus, confodit penè, atrox intestinorum inflammatio, molesta angit suffocatio. Quandoquè ipsius lactis afficiuntur receptacula, quibusque deliquit, in iisdem potissimùm partibus multatur parens inhumana, mammas varii infestant tumores, ulcera deturpant, cancri exedunt. Est & ubi in mali partem trahitur uterus, taboque & sanie diffluit humani generis officina. Hæ sunt quas secum Galliis intulit pestes, prolem non lactandi mos pessimus. Tot procellis jactatam non vivunt vitam illarum regionum mulieres, apud quas naturam sequendi ducem maxima religio, vetat infantes conductitiis mammis alendos tradere.

V.

ATTAMEN, inquies, multæ sunt non lactantes feminæ quæ optimâ fruuntur valetudine. Quid ad nos? si partu frequentissimo fatiscant tandem illarum vires, solidorumque frangatur Elater, undè proles numerosa quidem sed debilis,

utpotè infirmo in corpore generata. Hæc vitant incommoda quæ prolem nutriunt matres. Ita enim eſt ſtatutum à naturâ, ut Veneris præmia rariſſimè ferant nutrices. Uterum agro non ineptè comparaveris non ſecus ac agri interpoſitâ quiete non reparati, effœti fiunt, raramque emittunt ſegetem, uterus pariter non intermiſſo partu exhauſtus, concreditum ſibi, malè educat hominis germen. Quandiu lactat mulier, amiſſum uterus recuperat tonum novaſque accipit vires, ut pulchrâ ſanâque prole rurſùs beet parentes. Procul hinc maleſana quorumdam conſilia, qui ſexui (haud dubiè colendiſſimo) blandiendo nimis, ipſum crudelider enecant. Quid moleſtiùs inquiunt quàm clamores inter & ejulatus infantis, vitam trahere? Quid tædioſum magis quàm puerulum ulnis continenter geſtare, ipſiuſque ad ora papillas identidem admovere. Egregia profectò difficultas! Quaſi verò huic quoque rei maximè ſubventum non eſſet à naturâ. Hæc quippe tantam maternis animis innatos caritatem inſevit, ut quicquid prolis causâ ſuſceperint, nedum cum tædio & moleſtiâ, quin etiam incredibili cum gaudio illud aggrediantur: imò viſæ ſunt primiparæ quas ex avulsâ prole, alienis uberibus nutriendâ mœror extulit inconſolabilis. Sed dicant viciſſim, num ſatiùs eſt torqueri morbis periculoſiſſimis? Num gravia ſunt minùs geſtationis incommoda, cibi faſtidium, Pica, Malacia, abſurdorum appetitus, Cardialgia, Nauſea, Vomitus, Stranguria, Dyſuria, Teneſmus, Hæmorrhoides, crurum inflatio & indè ſubſequens difficilis progreſſio? Verùm inſurgunt alii, adſunt rationes quibus præcaveantur noxæ ab effuſo lacte oriundæ, aut etiam ejuſdem impediatur effuſio. Felicem utinam ſortirentur effectum tot adhiberi ſolitæ in non lactantium morbis, evacuationes omnis generis. Præterea nonne inſipientis eſt morbum etiam curatu facillimum conſultò admiſiſſe, qui facillimo declinari poterat negotio? Ergo canibus ultrò offerent mammas mulieres, quas infantibus denegarunt? talia meminiſſe horret animus. Urges adhuc, debilioris ſunt temperamenti urbanæ matres, quàm ut illæsâ ſanitate tantam perferre valeant evacuationem, quantam ſolent experiri lactantes; compertum enim eſt experientiâ nutrices quaſdam duas lactis libras quotidie emittere. Apage erroneam opinionem, debilitas illa non aliundè provenit, quàm ex eo quòd materna non ſuxerunt ubera, ſed & ipſi optimè medetur infantum nutricatio; hujus enim ope foras emittitur humor qui mole ſuâ gravaret partes, huic oneri ferendo præ ſuâ mollitie impares; & id adeo verum eſt, ut inter feminas non lactantes, illæ graviùs ægrotent quæ vitreâ, ut ita dicam, donantur valetudine. Malâ igitur non ampliùs utantur matres conſuetudine, eòque majora ſibi ex prolis lactatu ſpondeant emolumenta, quod dùm eas nutriendi infantes cura tenet, nec menſis opiparis accumbendi, nec in ſeram noctem cœnas protrahendi tempus ſupereſt, ſicque permultas morborum effugient occaſiones. Quid plura? Concludamus.

Ergo Prolem lactare Matribus ſaluberrimum.

Proponebat Pariſiis JOANNES-BAPTISTA-FRANCISCUS DELARIVIERE, Pariſinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1755,

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1755.